ORATIO
DE ELIGENDO
SUMMO PONTIFICE
Poſt Obitum
INNOCENTII XI.
HABITA
IN BASILICA VATICANA
CORAM
SACRO COLLEGIO
A LUDOVICO SERGARDI
SENENSI.

ROMÆ, MDCLXXXIX.
Typis Io: Iacobi Komarek Bohemi apud Angelum Cuſtodem.
SVPERIORVM PERMISSV.



QUANVIS mihi ſemper PATRES EMINENTISSIMI veſter hic confeſſus ſuprà cæteros in univerſo terrarum orbe, tum Dignitate, tum cunctarum Virtutum ſplendore Auguſtiſſimus fuerit, REGUMQUE SENATUM nullâ verbi invidiâ appellare conſueverim; attamen hodiernâ die tantum in ore veſtro inſo-

litæ majeſtatis intueor, vultuſque & habitus corporis, animiq; in fronte deſcripti adeò mortalium conditionem ſupergredi videntur; ut, ſi quem cauſa lateret, grande aliquid veſtris mentibus agitari, & volvi, facilè poſſet exiſtimare. Et quidem magna, ſublimis, ardua res, & omnium quæ humano conſilio adminiſtrari poſſunt longè maximi graviſſimique momenti coègit hæc Comitia celebranda, à quibus Ecclesiæ amplitudo, libertas, decor, totius denique Reipublicæ vota pendent & ſalus.

Audacior profectò eſſem ſi magnum opus aggreſſuros hortatore egère putarem, & officij veſtri mea vos admonèret oratio. Ipsi veſtrâ ſponte exarſiſtis ad tuendæ Dignitatis cupiditatem, & amiſſi nuper optimi Principis, communiſque Parentis lugubre deſiderium, ſatis teſtatur, vos ex omnibus renunciaturos, qui non parvam expectationem ſuſtineat implendi certa veſtigia; quique Sanctus,

in-

integer, & illi ipſi, à quo proximus eſt futurus, quam ſimillimus prodeat.

VEREOR tamen ne ancipiti deliberatione ſuſpenſi diu hæreatis cui patrocinium orbis terrarum decernendum iudicetis; Cœtus enim hic veſter ſummorum Virorum copiâ, Pietate, conſilijs, rerumque gerendarum ſcientiâ pręſtantium, ſi vnquam aliàs, adeo nunc abundat & floret, ut unuſquiſque natus in commune bonum, & ad hanc ingentem obeundam provinciam apprìmè factus videatur.

QUONIAM verò more inſtitutoq; Majorum factum eſt, ut antè quam opus moveatis, hujus gerendi muneris momenta aliquis expendat; enìtar pro meis viribus nonnulla coram proferre, quæ argumenti magnitudinem attingant; doleoque ſimul hanc mihi neceſſitatem impoſitam, ut cogar, aut graviora ſilentio præterire, aut veſtræ Virtuti eſſe injurioſus.

ECQUIS profectò ſermoni meo non ſuccenſeat, ſi vos in ſanctiſſimis hiſce ſuffra-

giis ineundis maximè cavère moneam à ſubducendâ proprii commodi, vel incommodi ratione? Satis videt, compertumque habet unuſquiſq; veſtrûm nihil fieri poſſe deterius, quam de REPUBLICA privatæ utilitatis calculis deliberare; adeò ut, etiam ſi quis cupiat rectè judicare, hâc tamen dulci & latenti tabe correptus, putet rectum id eſſe, quod è rè ſuâ cognoſcit.

CERNO jam nunc conſpirantem animorum conſenſum, & in unam ſententiam penè conflatum, eum ſibi conſtituere, QVEM DOMINUS DEUS MONSTRAVERIT DE NUMERO FRATRUM. Non enim veſtra, humana dicenda ſunt, ſed Divina ſuffragia, & conſilia hominibus communicata, quæ Authori ſuo cognata, non poſſunt communibus malis non mederi, & ECCLESIÆ ſalutarem opem afferre.

PRÆTEREA, adeo vulgarem ſortem, & aliorum hominum modum exceſſit Dignitas veſtra, ut in conſortium Imperii adoptione Virtutis adſciti, dum vobis

ipſis

ipſis conſulitis, REIPUBLICÆ faveatis; & fælicitas veſtra, alienæ fælicitatis portio ſit & incrementum. Quarè à Cœtu veſtro omni laude digniſſimo tam longè abeſt hæc malorum hominum criminatio, ut in publica commoda peccare non velle, morum probitate cogamini; non poſſe, amplitudine Dignitatis.

AT fingenti mihi formantique Principem in tantâ rerum perturbatione, lubricoque ſtatu; ea PATRES EMINENTISSIMI de pietate, ac ſolertiâ veſtrâ opinio inſidet, ut jamdiu VOBIS decretum putem, & mentibus ſingulorum altè defixum, illum præcipuè tanto faſtigio, &, ut ita dicam, Divinitati admovendum eſſe, qui in arduis definiendis certo pondere maturoque gradu procedat; & in ſummâ poteſtate, ſummam quoq; moderationem adhibeat. Agat videlicet magno animo, elatoque, & conſiliis fidenti, non ſerâ illâ & indecori ex periculis factâ prudentiâ. Differat, inſtet, minitetur; cumque

in ea inciderit, à quibus diſſentiri, periculoſum ſit REIPUBLICÆ; aſſentiri, miſerum ECCLESIÆ, plurima arbitrio temporis conficienda permittat.

Eâ nimirum acie mentis ornatus ſit, iis ingenii viribus inſtructus, ut procul ab omni calliditate interdum imitatâ prudentiam, futura cogitatione proſpiciat; quidque accidere poſſit in utramque partem aliquantò ante conſtituat; ne ulla in ejus decretis litura appareat, neve ſubitæ res non cogitantem, ac imparatum poſſint opprimere.

DIFFICILIS eſt ars regnandi, in hoc maximè Principatu, in quo SCEPTRI, & SACERDOTII jura, humana ac Divina mutuò nexu fœderata conſpirant. RELIGIO, Pietatis altrix, Regum ac populorũ tutela, teſtis Divinitatis, Juſtitiæ cæterarumque Virtutum parens, quæ non modò à brutis animantibus ſecernit, ſed cum Deo & Cælitibus ipſis mortalium ſocietatem tuetur, omni cultu amplectenda

eſt,

eſt, ſtudiiſque excolenda: tantoque dignior eſt ſupremo Chriſtianorum Principe, quanto ille propioribus finibus Superos attingit, & exuto penè homine dediſcit mortalitatem.

Non tamen Ecclesiæ, quà Regnum terrenum, & caducum eſt, ita obliviſci decet Vicariam Numinis Poteſtatem, ut florentiſſima totius Italiæ Municipia duriorum temporum anguſtiis objecta eſſe videantur. Hæc enim Majeſtas Imperii, hæc decora, hæc Templa propemodum Cælo æquata, hæc Urbs exterarum gentium votum & Sanctitatis domicilium, terrenis incumbit fundamentis: quæ ſi neglexeris, nuda Pietas, ſine Acerrâ, ſine Infulis ad Aras ſylveſtres litabit; & ab animo imperitæ multitudinis, quæ rerum extimâ ſpecie plerumque trahi ſolet, ſenſim ac tacitâ defectione inops Religio dilabetur.

Quapropter nil deterius Regnantis famæ, Regnoque infælicius accidere ſolet,

quam

quam pingue Ærarium paratum quandoque peccantibus, quos vel invenit, vel facit. Contrà verò nuſquam melius, nec in tutiori arcâ deponitur Regius nummus, quam in collapſis populorum fortunis inſtaurandis; à quibus, ſi res, tempuſque exigit, (quamquam in nundinis fœneratorum nullæ ſint beneficiorum tabulæ) repeti poteſt animis Civium auctus, & amoris uſurâ cumulatus. Sic ſplendidis rationibus quæſtui habetur RESPUBLICA, & erogare in miſeros aurum ſpecioſo proventu reverſurum, honeſta eſt PRINCIPIS avaritia. Timeant Privati decoctiones, quæ tamquam vitiorum comites, culpæ potius adſcribuntur quam fortunæ. PRINCEPS decoctor numquam audit; ut qui Ærario utiliter exhauſto gloriæ cenſum lucratur, ingens & duraturum in Poſteros patrimonium; habetque cum Deo communem neceſſitatem, alios augendo non poſſe fieri minorem.

VERUM difficillimis his temporibus, illud

illud credo PATRES EMIN.[MI] opportunum judicabitis, ut Infulis Vaticani præ cæteris inauguretur, non tantum forenſibus ſtudiis, & domeſticarum rerum uſu perpolitus, ſed qui maximis negotiis idoneus, aut graviſſimis ECCLESIÆ muneribus perfunctus, multarum regionum mores calleat, & Aulas Principum non ignoret. Ut enim perquam utilia ſunt minorum Magiſtratuum perſonam gerentibus, tyrocinia Fori, & Curiæ exercitatio; ita qui omnibus præeſſe debet, cæleſtique nutu rebus humanis quaſi fata decernere, par eſt, ut in aliquâ Chriſtiani Orbis procuratione, ubi, tamquam in verâ, & liberali ſcholâ, actio cauſæ maximæ non rarò intervenit, tanto Imperio fuerit initiatus.

IN hoc enim Regno, ubi PRINCIPES fiunt non naſcuntur, nec Imperii curas iure hæreditario delatas cum lacte Nutrix propinat, niſi moles negotiorum acceſſerit, quæ rudimenta Principatus edoceat, aut ignaros prudentia deſtituet, aut fracti

vano

vano plerumque terrore cogentur pretio damnorum paciſci miſeram ECCLESIÆ ſecuritatem:

FACTUS igitur ad Imperium pulcherrimèque inſtructus veniat; ut ingentium curarum capax, & animæ magnæ pleniſſimus re ipsâ poſſit oſtendere ſolam Virtutẽ ſupremo faſtigio eſſe importandam. Ac primò, memoriam veteris amicitiæ non obliteret tamquam argumenta privatę conditionis,& ſuperbum Regnantis titulum Paſtoris nomine mitigatum, cedere Pietati & clementiæ jubeat; jam amari,quam metui,regium magis putans. Quippe cum humana omnia ſe ipſo minora videat, nulli periculo propior eſt fortuna PONTIFICIS,quam mentis elationi.

SIT adiri facilis, impleat quandoq; oculos Populorum, & vultu liberali amores alat cupidæ Civitatis;nullâque Majeſtatis injuriâ, è proximo vota mortalium, uti Deus, ſuſcipiat. Etenim quoties imperviç non ſunt PRINCIPIS aures, licetque miſeris

ſine

ſine pudore fateri calamitatem ſuam; illud evenit, ut beneficio accepto, danti gratiores ſint, aut repulſam æquiori animo ferant; utrumque tamquam ſui Numinis conſcientiam.

Honores quoque, ac Dignitates parata ſint præclarè geſtis præmia; nec proſtent Adulatoribus, ſervo pecori, qui officioſis mendaciis Reipublicæ morbos contrectant, & plerumq; gratiam mercaturi dedecus Principis negotiantur, computantque in reditu lachrymas Provinciarum.

Descendat ad oſcula jacentis Virtutis, educat è tenebris latitantem ac profugam, & ingentibus donis cumulatam non ſine invidiâ conſpiciant, intabeſcantque quotquot more Scytharum inter malas artes literas habent. Ità nimirum confluent undique peregrinæ Nationes, ſemiruta theatra, ſtatuas, arcus (Romanæ potentiæ nobile cadaver) admiraturæ; referent tamen Conjugibus, ac Liberis ſuis conſtantem opinionem, Romæ, ſummas Dignitates patere

Vir-

VIRTUTI, non divitiarũ aut Generis commendationi, & in hâc præſertim Aulâ ſolo nomine diſſentire Meritum, & Fortunam.

Colligitis, opinor, PATRES EMINENTISSIMI quâ ſapientiâ, quibus conſiliis opus ſit, ut eum deſignetis, QVI NON DISCEDAT DE TABERNACULO DOMINI; velitq; PONTIFEX non tam vocabulo eſſe, quam merito. Majores tamen cauſæ, gravioreſq; ad hoc munus Comitiorum ſanctè & celeriter obeundum compellent, ſi prçſentem REIPUBLICÆ faciem (quanvis acerba ſit recordatio malorum) veſtris oculis ſubjicietis.

ARDET bello Europa, & fatalibus infortuniis miſerè involutam hoſtilis flamma depopulatur; inveteratâ jam validâq; opinione integritatem & amplitudinẽ unius, niſi alterius ruinâ conſtare non poſſe. Nullum ſexus, aut ætatis, cui bella parcant, diſcrimen. Omnia uno calamitatis jure continentur. Quid memorem civilibus odiis commiſſa Regna, laceratas Provincias & Pietate transfugâ, de ſtatu & Populorum

ſecu-

ſecuritate, licentiæ militaris arbitrio decerni? Ipſe etiã Chriſtiani nominis vetus hoſtis, terrâ marique debilitatus, cùm jam Pannoniâ, & totâ ferè Græciâ depulſus, egrè apud Boſphorum reliquias fortunæ colligeret; in ſpem novam erectus, ob dolendum hoc Regnorum divortium, contumaci fronte minitatur; & toties victus fugatuſque, bellum, non ſuo robore, ſed noſtris diſſidiis, animoſus inſtaurat.

HAS quæſo neceſſitates, hæc tempora PATRES EMINENTISSIMI pro veſtrâ ſapientiâ, & ardentibus in Religionem animis ſedulò expendite. Reputate vobiſcum quã multis in locis ægra, ſeu potius exanimata langueat ECCLESIA; & ſcitote hoc tempore magnâ expectatione ſuſpenſam, & de horum Comitiorum exitu ſollicitam, à VOBIS præſidia Canonum, Virtutis patrocinium, morum tutelam, pacem, libertatem, deprecari.

JACET IN PULVERE VIRGO FILIA SION, paſſis crinibus, nudato pectore, ſaucia, exan-

exanguis. Vos intuetur, Vos vultu appellat, veſtram quodammodo flens fidem implòrat. Audite dòloris liberam vocem. Cognoſcite REIPUBLICÆ vulnera, quæ licet cruda adhuc, & intractabilia videantur; tamen illis mederi Optimi PRINCIPIS beneficio, & agere curam ſpecioſæ cicatricis, veſtri conſilii eſt, veſtræ prudentiæ. Dum poteſtis, dum licet, nolìte PATRES committere, ut Domini SPONSA, quam formoſam, ornatamque à Majoribus veſtris accepiſtis, partem aliquam Dignitàtis, ac decòris amittat.

VERUM, non ea ſunt ingenia veſtra, ut recta conſilia aſſumant ex neceſſitate, & ad ea, quæ decent terroribus, ac denunciationibus adigantur. Quanvis pacata omnia, ac tranquilla forent, & ſecurâ pace frueretur ECCLESIA; ſatis apud Vos publica utilitas, honeſti ſpecies, &, quæ validior eſt apud optimum quemque, ſecreta cenſura conſcientiæ peroraret.